

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM
DE
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA
SPECIMEN IV. ANTHROPOLOGICVM.

§. I.

Harmoniaë Præstabilitæ a) præcipuum, b) quamvis indire-
ctum argumentum fundatur in falsitate reliquorum possi-
bilibium de Commertio Animæ & corporis Systematum; c) pri-
mum igitur dispiciemus, an falsitatis hæc satis fuerint convicta.

a) Systema hoc ab illustr. Autore Leibnitio variis in locis passim propositum
post Celeb. Wolffium in Metaph. §. 760. sqq. eruditissimus Bulffingerus
optime exposuit in Diss. peculiari Tubing. 4. 1721. in Commentatione Hy-
pothet. de Harmonia Animi & corporis humani præstabilitæ & in Dilucid.
§. 318. sqq.

b) Bulffinger Comm. Hypoth. §. 86. sqq.

c) nondum tamen ex falsitate reliquorum Systematum, si vel maxime con-
cederetur, veritas Harmoniaë Præstabilitæ satis probatur; posset enim eti-
am hoc Systema esse erroneum, adeoque nos modus Unionis inter Mentem
atque Corpus omnino latere. Mirum id non videbitur, considerantibus,
corpus sine imaginatione concipi, & solo intellectu Puro cogitari debere,
unde difficultas maxima circa modum commercii, quod inter Mentem &
Corpus intercedit quodque mysterium philosophicum merito appellatur, a
priori cognoscitur, & modestia philosophica in hoc præcipue argumento
inculcatur. Posset hinc quartum Systema elici, idque *Systema Ignorantiaë*
nominari, cujus denominationis novaratio ex sequentibus addi posset, ubi
influxum statuemus, modum influxus ignorare ingenue profitebimur.

§. II.

Systema influxus sive accuratius a) loquendo corpus agere
in Mentem, hanc in corpus, non quidem, nudis experimentis
b) sed accedente Inductione Verulamiana c) probatur, atque
passionibus Mentis d) corroboratur.

a) Vocabulum influxus allegoricum est, unice ideo adhibitum, ut diversis-
sima quatuor causarum genera (inter quæ finis est non-ens, cum reliqua
sint entia, forma & materia non differunt ab effectu, materia passive se
habet, cum Efficiens agat) obtorto collo sub uno vacuo sono Causæ in
genere quasi sub genere comprehendi possent, quare merito ab eodem
abstinemus.

D

a) Ob.